



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

IV. De Personis Eligendis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

ARTICULUS. IV.  
De Personis Eligendis.

## SUMMARIUM.

58. Eligendorum qualitates.
59. Eligi nequeunt infantes, impuberes,
60. Laici,
61. Neophyti,
62. Hæretici & Schismatici,
63. Infames & Criminosi,
64. Præsertim Simoniaci,
65. Beneficia incompatibilia retinentes sine dispensatione,
66. Censurati,
67. Etiam post Concilium Constantiense,
68. Irregulares:
69. Quorum electio non ipsò Jure irrita,
70. Sed irritanda est.
71. Eligi etiam nequeunt, quorum electio cassata est ob vitium persona:
72. Adhibita tamen distinctione:
73. Nondum professi Religionem.
74. Hanc Professi viri eligibiles sunt statim:
75. Fœmina post expletum 8. vel 5. annum à Professione.

38. **P**ersonarum ad prælaturas eligendarum qualitates summatim complexus est Alexander III. in Concilio Lateran. edita & c. *Cum in cunctis* 7. relata Constitutione; cujus præsertim ad illas, & præsertim ad Episcopatum, eligendis, *Ætatis maturitas*, *Gravitas morum* & *literarum Scientia* dicitur inquirenda; ut cum honore, ædificatione utilitatēque publica curam animarum & Ecclesiarum administratio-

nem gerere possint: propter cujusmodi qualitatis alicujus defectum SS. Canones à prælaturis & dignitatibus Ecclesiasticis arcent

Primò, furiosos, amentes, infantes, pueros, c. *Indecorum* 3. de *Ætat. & qualitat.* cum enim hujusmodi persona gubernare nequeant se ipsas, eas regimini præficere, non tantum indecorum, sed damnosum Ecclesiis & animabus periculosum foret: illegitimos, c. *Innovit.* 20. de quoscunque laborantes vitio corporis, propter quod munere suo decenter fungi non possint, can. *Hinc etenim* 2. dist. 49. de quibus sermo redibit *Tit. 17. & 20. totis.*

Secundò, laicos, hoc est, Ordinem clericalem, aut saltem primam tonsuram non habentes, arg. à minori ad majus c. *Cum adeo* 17. de *Rescript.* & c. *In Ecclesia* 2. de *Institut.* & non habentes ætatem, quam exigit prælatura, c. *Cum in cunctis* cit. de qua & ad prælaturas eligendorum Ordine, ex instituto agetur *Tit. 14. d. n. 1. & n. 16.*

Tertiò, Neophytos, hoc est, à Paganismo vel Paganismo ad Christianam Religionem nuper conversos; hi enim soli: non etiam, qui à multo jam tempore Fidem & Baptismum susceperunt: & multò minùs ex jam baptizatis nati, propriè Neophyti sunt, secundum *Summam & textus dist. 48.* Turrecrematam. in *Summam* cit. n. 2. Navarrum *Manuale* cap. 27. n. 205. & Covarruv. in *Clem. 8. furiosus* p. 1. §. 2. n. 7. & in Episcopos ordinari *text. cit.* & à S. Paulo prohibetur 1. *Timoth. cap. 3. v. 2.* ubi *Oportet*, inquit, *Episcopum non Neophytum esse*: & rationem reddit; *Ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli*, si primò quodammodo spiritus suæ Nativitatis annò collatum in se honorem & potestatem intuens se, quod pronum est, ceteris dign-

dignorem arbitretur. Accedit; quod vita Christiana Doctorem esse non expediat eum, qui nunquam didicit, fideles gubernare: qui Ecclesiam gubernantis mansuetudinem nunquam est expertus, Barbofa de Offic. Episc. p. 1. Tit. 2. Gloss. 17. n. 5.

62. Quartò, Hæreticos, etiam postquam ab hæresi sunt absoluti, eorumque credentes, receptores, defensores & fautores, ex iisque descendentes usque ad secundam generationem ex paterna, & primam ex linea materna, c. Quicumque 2. §. Hæretici & c. Statutum 15. de Hæret. in 6. quibus Constitutionibus hujusmodi personæ ad quodcumque Ecclesiasticum beneficium seu officium publicum promoveri prohibentur: & V. Hoc sanè excipiuntur filii, quorum parentes poenitentes Ecclesiam reconciliati sunt, vel saltem ad poenitentiam jam parati decesserunt; cum enim per tales non stet, quò minus poenitentiam impleant, id eis non debet imputari, ut cum Glossa fin. in c. cit. notant Sanchez Lib. 2. Moral. cap. 27. n. 26. Barbofa in c. cit. n. 8. & Engelb. n. 25. ubi isti & Laiman Lib. 1. Tract. Ep. 5. cap. 4. n. 12. cc. cit. dispositionem in Germania nostra aliisque partibus septentrionalibus quoad Hæreticorum liberos, si hi probi & aliàs idonei sint, usu non receptam asserunt, ut plenius tradetur Lib. 5. tit. 7. art. 5. in fine.

Quintò, Schismaticos, etiam postquam Schisma abjurarunt, ut desumitur ex c. Quia 5. ubi eorum alicujus electio dispensativè permittitur confirmari: & eos, qui à Schismatico sunt ordinati, c. cit. quia suspensionem incurrunt, c. 1. & Fraternalitati 2. de Schismat.

63. Sextò, infames, non tantum infamia Juris, sive per legem aut judicis sententiam inflicta, arg. 1. Unica C. de Infamib. & 1. Neque 2. C. de Dignit. sed eti-

am infamiam Facti sive, quorum existimatio apud viros probos & prudentes graviter læsa est, propter publicam notitiam sive opinionem criminis commissi, c. Inter 11. de Excess. Pralat. Cujusmodi sunt sacrilegus, arg. c. Venerabilem 34. pr. V. Nunquid ibi Sacrilegum quemcumque, cum talis ab aliis actibus legitimis repellatur, can. Nulli 3. q. 4. falsarius literarum Apostolicarum, c. Ad falsariorum 7. de crimine falsi: publicus aleator & usurarius manifestus, c. Inter cit. perjurus, c. Querelam 10. de Jurjurando, reus frequentati criminis Sodomie; cum enim istius frequentatione clericus dignitate, beneficio &c. jam aquiritis priveretur, Constitutione Pii V. quæ incipit Horrendum edita 3. Septemb. 1568. multò magis impediatur ab eorum assecutione, ut rectè arguit Laiman de Elect. Pralat. q. 53. ambitiosus, sive qui in electionem sui, tanquam jam factam, ante formatum & publicatum electionis decretum consensit, c. Cum post 46. ubi Glossa V. Requisitum & Barbofa n. 2.

Septimò, ex criminosis specialiter eligi nequit Simoniacus, can. Cavendum 1. q. 7. & c. Super eo 12. hic; ut ejus, qui pecuniâ vel aliâ re temporali datâ suffragia consecutus est, electio irrita sit, Extravag. 2. V. Per electiones & V. Statuentes de Simonia, quantumvis res temporalis non ab ipso electo, sed eò ignorante, ab alio sit data c. Si alicujus 5. hic & c. Mattheus 23. de Simonia: nisi data sit in fraudem electi, aut iste contradixisset, c. Nobis 27. & c. Sicut 33. eòdem Tit. Imò simoniacè electus ad eandem prælaturam ineligibilis redditur pro ea vacatione, & donec simoniæ vitium purgatum sit per interpositam personam aliam: quâ demum mortuâ, renuntiante &c. ad eam denuo eligi potest, c. Si alicujus cit. Laiman & Barbofa in c. cit. uterque n. 3. Garcias de Benef.

de Benef. p. 8. cap. 1. n. 8. & 56. & Suarez de Simonia cap. 58. n. 9.

65. Octavo, qui tempore electionis sine dispensatione simul retinet plura beneficia curata, personatus aut dignitates, c. Dudum 54. §. Verum V. Nos igitur, & multo magis Extravag. Execrabilis 2. §. Porro de Præbend. Joan. XXII. ubi talis redditur inhabilis ad quæcunque beneficia obtinenda, Glossa in c. Dudum cit. V. Electionis tempore & Panormitanus ibid. num. 1.

66. Nondè, irretitos censuris Ecclesiasticis: & imprimis quidem excommunicatos, non tantum excommunicatione majori, quorum electio irrita est ipsò Jure, c. Postulasti 7. & c. fin. de Cleric. excom. &c. quia tales incapaces sunt omnis beneficii & juris Ecclesiastici, & multo magis prælaturæ acquirendæ, Navarrus cit. cap. 27. num. 1. Covarruvias in c. Alma p. 1. §. 7. n. 1. & Suarez de Censur. disp. 13. f. 1. n. 2. sed etiam minori, quâ ligati, si scienter eligatur, electiones irritandas, cum Glossa in c. fin. cit. V. Scienter docet Joan. Andr. in c. cit. n. 5. cum enim privatus sit Sacramentis, ad ea ministranda eligi non debet, Covarruvias n. 1. & Suarez disp. 24. f. 2. n. 22. Deinde, suspensos ab officio aut beneficio, c. Cum dilectus 8. de Consuet. c. Bone 8. De arate, Glossa in c. Cupientes 16. V. Beneficiis in 6. Ratio est; quia nemo eligi potest ad susceptionem officii, cujus exercitium: aut beneficii, cujus administratio & fructuum perceptio ipsi est interdicta, c. fin. circumjuncta Glossa V. Privatus; ne, ut ibi dicitur, quod una via amittit, per aliam consequatur, Laiman in c. Dilectus cit. n. 5. Garcias p. 7. de Benef. cap. 24. num. 1. & Palao Tract. 29. disp. 4. p. 5. §. 1. n. 2. & 3. suspensum electionem ipsò Jure irritam esse, defuentes ex c. Bone cit. Ubi beneficia à suspensis obtenta li-

citè retineri non posse habetur. Denique etiam personaliter interdictos ineligibiles esse, arg. c. Dilectus & c. fin. cit. docet Sylvester V. Electio 1. q. 14. & multo magis interdicti temerarios violatores: à quibus jus electionis, tam Passivæ quam Activæ, amitti, ex c. 1. de Posul. prælat. c. fin. de Excess. Prælat. & c. Is qui 18. §. 1. verò de Sent. excom. in 6. cum eodem Hostiensis in Summa hic num. 9. docet Laiman de Elect. prælat. q. 52. in fine & Donatus Tom. 2. Prax. Regul. Tract. 5. quæst. 18.

Atque hujusmodi censurati votivi Passivæ in electionibus ad prælaturas incapaces sunt, quantumvis neque denunciati, neque notorii clericorum percussores; ac proinde non vitandi, sed tolerandi sunt; quia Extravag. Martini V. quæ incipit Ad evitanda, directè nullus favor ipsis censuratis, etiam toleratis, est concessus, ut ad hanc Rubr. rectè advertunt Pirrhing n. 105. & Engel n. 22.

Decimo, irregulares, sive ex defectu sive ex delicto tales sint, ad prælaturas eligi non posse, sicut DD. assertio certa, ita incertum est, quò Juris textu eligi prohibeantur; cum iis, qui contra ipsos solent allegari, vel de suspensis, ut c. Litter 16. hic & c. Bone 8. de Arat. vel de excommunicatis, ut c. Postulasti 7. & c. fin. de Clerico excom. ministr. vel. ut c. Henricus 2. de Cleric. pugn. in duello & c. Is cui 18. §. 1. verò de Sent. Excom. in 6. de certa aliqua, v. g. ex homicidio vel temeraria censura violatione &c. contra non generaliter de quacunque & undecunque proveniente irregularitate sermo sit, ut accurata singulorum ponderatione ostendit Suarez disp. 40. de Censur. f. 1. à n. 30. Non deest tamen in Jure facta ratio, quâ eorum ineligibilitas evincatur; cum enim beneficium detur propter officium, c. fin. de Rescript. in 6. ad prælat.

prælaturam eligi Jure nequit, qui ei annexi, & per Divinorum celebrationem & SS. Ordinum usum exercendi officii, non est capax, ut ejus capaces vel maximè non sunt irregulares, à sacrorum Ordinum susceptione & susceptorum uti perpetuò impediti, *arg. c. Significasti 18. de Homicid. Sylvester V. Irregularitas pr. & Navarrus Manual. cap. 27. n. 191.* Ubi

69. In dubium vocari potest, an irregularis electio irrita sit ipsò Jure: quòd, licet calculò perquam frequenti asserant DD. Jure tamen non reperitur expressum, & allatà ratione non evincitur; cum enim prohibitio & irritatio legislativæ potestatis diversis actus sint, electionis de irregulari celebratæ nullitas, ex ejus, atque etiam collationis beneficii personæ ad officium inhabilis faciendæ, prohibitione ritè non inferitur; præsertim cum prælatura jam obtenta cum irregularitate superveniente simul consistere, & in ista dispensationem impetrare valeat, qui ad illam est electus. Accedit; quòd sicut irregularitas non nisi in casibus Jure expressis admittenda, ita ei tribuendi non sint effectus, qui illò non sunt expressi.

70. Quare verius, electionem personæ irregularis cassandam quidem, non tamen ipsò Jure irritam esse, sustinent Innocentius in *c. Cum nostris 6. de Concess. præb. n. 1.* Francus in *Reg. 1. in 6. n. 5.* & alii, quorum sententiam probabilem vocat *cit. Suarez n. 35.* & secuti sunt Diana *p. 4. tract. 2. resol. 79. Palao Tract. 29. disp. 5. p. 6. n. 7.* & Passerinus *de Elect. cap. 25. n. 315.* ex ratione allata. Cui non leve pondus addit textus *c. Si soli 6. de Concess. præb. in 6.* cujus notatu digna dispositio est, prohibitione Apostolicà collationis, ac proinde etiam electionis, eam factam non irritari: nisi prohibitioni decretum irritans sit adjunctum; cum ergo electionis de persona irregulari celebrandæ prohibitioni ejusmodi de-

cretum vel clausula adjuncta non sit, ea de irregulari celebrata Jure subsistet. Irritanda tamen erit, *arg. c. 1. de Stat. & qual.* non solum; quòd facta sit contra Juris prohibitionem: sed, quòd ejus etiam, utpote de persona ad officium ob-eundum inhabili factæ, confirmatio superiori non sit permissa, ut *ex c. fin. cit. deducta ratio evincit.*

Undecimò, cujus electio irrita & cassata fuit propter vitium personæ: quòd 71. argumentò à contrario ductò ex *c. Super eo 12.* colligunt & generalis Regulæ instar *ibi* cum Glossa *V. Persona* tradunt Barbosa *n. 2.* & Miranda *Tom. 2. Manual. prælat. q. 23. art. 11. conclus. 5.*

72. Sed melius in *c. cit.* cum Innocentio *n. 1.* & Panormit. *n. 7.* Laiman *n. 2.* quantumvis eum, cujus electio non ob vitium personæ, sed aliam ob causam, v.g. propter vitiosum processum, exceptà tamen labe Simonix, ca facta fuit, denuo eligi posse, desumat ex *c. cit.* textu: casu tamen, quò ea cassata fuit ob vitium personæ, utitur distinctione; vel enim electio cassata fuit ob vitium corporis, vel animi? Si cassata fuit ob vitium corporis, v.g. propter morbum vel etiam ætatis, natalium aut alium defectum non culpabilem personæ: & vitium illud perfectè emendatum & defectum sublatum esse constat, eum ad eandem vel aliam prælaturam eligi posse, rectè colligitur ex *c. Cum inter 21.* ubi de eo, cujus electio impugnata fuit; quòd propter morbum epilepticum jam semel fuerit repulsus, Papa solum inquiri jussit, an morbo illo etiam secundæ electionis tempore laborarit. Ratio est; quia, cessante causà, cessare debet effectus, *c. Cum cessante 60. de Appellat.* Si ob vitium animi sive crimen cassata electio fuit, eligi amplius non potest, saltem sine dispensatione superioris, & præmissa cognitione de personæ habilitate præsen-  
Kk ti, *arg.*

ti, arg. à contrario ex c. Super eo cit. & arg. à pari ducto ex c. Post translationem 11. de Renuntiat. ex cuius dispositione, qui praelaturam renuntiavit, aut renuntiare coactus, vel ab ea depositus fuit propter conscientiam criminis, ad eam iterum eligi non potest. Ratio est; quia per repulsam electionis, renuntiationem, depositionemve propter personam crimen factam, graviter laesa est ipsius existimatio; quare eum eligi facile non permittit; quia semel malus semper praesumitur esse malus, Reg. 8. in 6. aut saltem in eodem mali sive delicti genere suspectus, l. Si cui 7. §. 2. ff. de Accusat. Tholosan. de Elect. cap. 9. n. 22.

73. Duodecimò, eligi ad Abbatiam vel aliam praelaturam Regularem non potest, qui ejus Religionem non est professus, c. Cum in Magistrum 49. cujus pr. ratio redditur; quod in Magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit: nec sit praeficiendus, qui subesse non novit: cui consonat c. Officii 38. v. Nos autem. Professus autem esse debet Regulam, non quamcunque, sed ejus Ordinis, in cujus praelatum est eligendus, Clement. 1. pr. ubi aliter facta electio dicitur irritatur, & redditur ratio; quod rationi non congruat, ut homines disparis professionis vel saltem habitus simul in iisdem monasteriis socientur, cit. Miranda conclus. 4. Donatus tract. 5. q. 1. & Tamburinus Tom. 1. de Jure Abbat. disp. 5. q. 11. Etsi verò antiquò sufficeret tacita: modernò tamen Jure exigitur, ut in ejusmodi Ordine Religioso edita sit professio expressa, c. Nullus 28. in 6 & Trident. sess. 25. cap. 21. de Regular. & hujusmodi professioni praemittatur annus probationis expletus, sess. cit. cap. 15. quibus decretis via praclusa est ambitioni & obviatum abusu, Religionem ingredientium solo intuitu praelatura-

rum: ad quas, ut assumi possent, non raro post unum alterumve mensem, & aliquando hebdomadam, Religionem suam professi, teste Navarro Consl. 62. de Regular. & Laiman, in c. Cum in Magistrum cit. n. 1.

Post exactum tamen integrum probationis annum Religionem expressè professus, licet monasterii necessitate vel utilitate potente eligi statim valeat, Innocent. in c. Officii cit. & Passerius de Elect. cap. 25. n. 340. Ordinariè tamen id non expedit; cum, ut dictum, non deceat assumi in magistrum, qui discipulus vix esse cepit: & S. Hieronymi saluberrimum monitum sit: Multò tempore discipulus, què postmodum doceas, can. sic vult & Ne miles antequam Tiro, ne prius magister quam discipulus, can. Si electus 16. q. 1.

Moniales, etsi antiquò, virorum instar, ipsa quoque statim: modernò tamen Jure in Abbatissas, Praepositas, Priorissas eligi nequeunt, nisi post editam professionem expressam octo vel saltem quinque annis in Religione laudabiliter vixerint, ex decreto S. Synodi Tridentinae sess. 25. cap. 7. de Regul. declaranda infra n. 232.

Quà aetate & aliis qualitatibus praeditum esse oporteat, qui per electionem ad praelaturam aliamve dignitatem Ecclesiasticam assumendus est, statuetur Tit. 14. quò totò de iis ex iustitia agendum erit.

ARTICULUS V.  
De Electorum Vocatione ad Electionem.

SUMMARIUM.

76. Ad electionem, praefixò ei terminus vocandi omnes,